



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 61. Socinus mortuo magno Etruiæ Duce omnibus suis bonis exutus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

§. LXI.

Sæcul.XVI.  
A.C.1595.

*Socinus mortuo magno Etruriæ Duce  
omnibus suis bonis exutus.*

**H**aud minori dolore percellabatur ob *Pezipcov.l.c.*  
Francisci Medicæi magni Etruriæ  
Ducis obitum: eo enim defuncto sese  
fido amico, ac potenti Protectore, om-  
nibus suis bonis, omnique spe orba-  
tum cernebat; hucusque equidem cum  
Isabella Medicæa Magni Ducis Soror,  
& Pauli Jordani Ursini Conjux adhuc  
vita superstes esset, sacræ Inquisitio-  
nis Judices, qui hunc hæreticum om-  
nium suorum bonorum jactura ad fa-  
nora reduci putabant, suos conatus  
incassum impendebant: ipsa etiam vi-  
vis erepta adhuc ipsemet Magnus Dux  
illum protegere studebat, necnon illum,  
ut reverteretur, rogans eidem fidem  
fecerat, quod ejus patrocínio tutus suis  
proventibus libere frui posset, id autem  
unice ab eo peteret, ne suis libellis no-  
men suum apponeret: verum Socinus  
hanc munificentiam in rem suam ver-  
tere parum sollicitus, atque aliunde  
spe sua delusus, quod apud erudi-  
tos novis opinionibus infectos eximium  
sibi nomen comparasset, duntaxat cum  
magno Etruriæ Duce literarum com-  
mercium prosequi intentus erat. Ast  
mortuo hoc Principe Socinus pene in-

Nn 3      nume-

Sæcul. XVI. numeris, quibus omni ex parte pete-  
A.C. 1595. batur, telis sese expositum sentiebat,  
 tantoque impetu omnes calamitates  
 conspirabant, ut omnes tumultus, &  
 bella, quibus tum Polonia, & Secta-  
 riorum Ecclesiæ agitabantur, unice ad  
 extremum Socini exitium excitata, at-  
 que continuata viderentur: ab aliis e-  
 nim accusabatur, quod malorum, qui-  
 bus Regnum afflictabatur, auctor ex-  
 stiterit: insuper alii in ejus culpam reji-  
 ciebant horrendum illud schisma, quo  
 varix Novatorum factiones inter se scin-  
 debantur, unde sibimetipsi gravis, ac  
 jamjam illis, quibus apud Morsteinium  
 Pawlikovix Dynastam convivebat, ad-  
 modum molestus Cracoviam, adver-  
 sam sortem suam declinaturus, reverte-  
 batur, ubi denuo studiis intentus dif-  
 ficiliores fidei controversias, ac que-  
 stiones dilucidare aggressus est, ac pro  
 viribus animos illorum omnium con-  
 ciliare satagebat, qui supremam Christi  
 Domini Divinitatem negantes circa alia  
 capita inter se dissidebant. Ex hoc  
 animi proposito eorum cætibus, dispu-  
 tationibus, & Synodis sedulo adesse  
 studebat, necnon in Briesciensi con-  
 ciliabulo Francisci Davididis discipulos  
 tam acriter refellebat, ut non sine animi  
 sui júbilo tandem suam opinionem a  
 pluribus Ministellis approbari cerneret,  
 cujus

cujus successus prosperitate sibi Profe-  
lytorum numerum auxit, atque inter  
eos Petrum Stoinski, Andréé, Stanis-  
laum, & Christophorum Lubienieski  
sibi conciliabat, ex quibus prior sua  
eloquentia, ac profunda eruditione So-  
cini errores valide suffulciebat, ceteri  
vero tres tantopere ejusdem merita de-  
prædicabant, ut ex affectu erga ipsius  
doctrinam relictis Aulæ officiis ipsi Mi-  
nistrorum munus suscipere non de-  
dignarentur.

§. LXII.

*Socini opera.*

Toto hoc tempore Socinus varia edi-  
dit opuscula, ac ipse in quadam  
epistola die tertia Februarii anno Christi  
millesimo quingentesimo nonagesimo  
quinto ad Christophorum Morsteinium  
data fatetur, quod sequentes libros ty-  
pis impressos conscripserit. I. Respon-  
sum ad Paleologum pro Racovianis.  
II. Disputationem circa quemdam tex-  
tum septimi Capitis epistolæ ad Ro-  
manos. III. Adnotationes in Theses  
Possnaniensis Collegii. IV. Dissertatio-  
nem contra Volanum. V. Examen ar-  
gumenti pro Unitate, & Trinitate Dei  
unacum brevissimo responso ad quas-  
dam assertiones. V. Synopsin nostræ  
justificationis per Christum. VII. Tra-

N n 4                      ctatum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1595.